

Alte Drucke

**HIER. ZANCHI || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

EIVSDEM ZANCHI DE VERA REFORMANDARVM ECCLESJARVM RATIONE, VEL, SI
MAVIS, DE REGVLA CONCILII, Theses Analyticae.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

quòd, quantam remoram adferant cursui Euangelij: non ignoremus.

Precor itaque Dominum Iesum Christum: tandem aliquando omnium Ecclesiarum misereatur: efficiatq; sua gratia: ut omnes tam quæ à Romana defecerunt, quàm quæ adhuc sub illa degunt, veram ac perpetuam (id quod non ego tantum: sed omnes pij ardentissimis votis exoptant) in vera ac pura doctrina: puro ac sincero cultu, denique in ipsis etiam ceremoniis, & in disciplina Ecclesiastica consensionem, id eoque & pacem & charitatem à patre misericordiarum consequantur.

Non dubito: quin permulti sint in Ecclesia Romana viri pij atque docti: qui hanc pacem & concordiam percipiant, ac pro sua virili curent. Dominus igitur horum omnium studia feliciter promoueat.

Habes hîc, charis. Compater, quæ de hoc dissidio cœnæ Dominicæ ad illum Episcopum scripserim. Adhæc adiicio illa, quæ de ratione reformatarum Ecclesiarum cum illo eodem Episcopo contuleram, certis & breuib; thesibus comprehensa.

EIVSDEM ZANCHI DE VERA RE-
FORMANDARVM ECCLESiarVM RATIONE,
VEL, SI MAVIS, DE REGULA CONCILII,

Theses Analytica.

I.

Omnes homines cupiunt viuere, idque feliciter, atque æternum. Omnes igitur (nisi prorsus Epicuræi, & perditii sint) desiderio tenentur viæ, qua ad æternam, beatamq; vitam perueniri possit, cognoscendæ.

II.

Omnes homines post Adæ peccatum, ut ingenio, prudentia & rerum humanarum cognitione præditi sint: in iis tamen, quæ ad Deum, ideoque tum ad æternam vitam, tum ad viam, qua ad æternam vitam peruenitur, cognoscendam pertinent: cæci sunt: iuxta illud Apostoli. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: & mendaces: iuxta illud Daudis, Omnis homo mendax. Nihil igitur vel veri vel certi de viâ æternæ vitæ, seu de religione homines à sua tantum sapientia, & prudentia ducti de finire possunt.

III.

Solus Deus quæ sit hæc certa ad vitam æternam viâ, non solum nouit: sed etiam verbo suo partim per Prophetas, partim per suum Filium hominem factum, partim denique per Apostolos mundo reuelauit, ac patefecit. Ex solo igitur Dei verbo per Prophetas, Christum, & Apostolos hominibus prædicato, hæc viâ, id est, vera religio disci potest, ac debet.

IV.

Certum Dei verbum esse illud, quod in Scripturis Canonicis continetur, hoc est, quidquid ibi nomine Dei vel narratur, vel mandatur, vel promittitur, aut ad mandata, promissiones & Euangelium pertinet: apud Christianos omnes extra controversiam est. Sentire igitur atque definire de religione iuxta verbum Dei Scripturis Canonicis contentum: res est tutissima, & securissima.

V.

Quidquid porro est in Ecclesiis, tam Romana, quàm aliis: illud vel est secundum verbum Dei in iis Scripturis Canonicis contentum, ac declaratum; vel est contra verbum

verbum Dei: vel neque contra, neque secundum verbum Dei, sed ἀνὰ φωνήν. Hinc tria consequuntur. Primum quidem: Quidquid igitur agnoscitur esse secundum verbum Dei, in Scripturis Canonicis contentum, si in Ecclesiis, tam Romana, quam aliis locum habet, retinendum est: si verò exulat postliminio reuocandum est. Alterum: contra quidquid agnoscitur esse contra verbum Dei: si non obtinet in Ecclesia: non est introducendum: Si verò obtinet: illud prorsus est tollendū. Tertium: Quidquid verò agnoscitur esse neque secundum, neque contra verbum Dei, nimirum ἀνὰ φωνήν: primo loco declarandum est illud esse ἀνὰ φωνήν, hoc est tale, quod ad salutem necessarium per se non est, ac proinde quo nullius conscientia per se obstringi potest aut debet. Deinde seruanda est regula Apostoli: vt scilicet nihil in Ecclesia vel retineatur, vel introducatur, quod non faciat ad ædificationē, ad ordinem, aut ad decorum. Ceremoniæ igitur & omnia ἀνὰ φωνήν libera sunt Ecclesiis singulis permittenda: vt quæque Ecclesia ea vel retineat, quæ magis iudicauerit fore suo populo ad ædificationem, ad ordinem, ad decorum. Sed ita tamen permittenda sunt libera: vt quoad eius fieri potest, antiquiora semper potius retineatur, quam noua introducantur: idque tum propter honorem antiquitatis, tum quia in Ecclesia Dei, quò quid est antiquius, eò etiam est verius, ideoque & melius: iuxta regulam Tertulliani.

V I.

Extra Scripturas Canonicas aliquam aliam doctrinam esse verbum Dei, ac proinde, quæ in ea doctrina mandantur, esse ad salutem necessaria: demonstrari nullo modo potest. Aliquid autem tanquam ad salutem necessarium in Ecclesiam introducere, vel introductū retinere: de quo certus non sis, an sit secundum verbum Dei, necne, peccatum est: iuxta illud Apostoli: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Nihil igitur quod è sacris literis testimonium non habeat: tanquam ad salutem necessarium, in Ecclesiam est introducendum, vel introductum est retinendum: quemadmodum non solum sacræ literæ, sed etiam Patres ipsi docent. Etsi enim multa alia tam Prophetæ, quam Christus, & Apostoli prædicarunt præter ea, quæ in sacris literis continentur: omnia tamen quæ ad salutem prorsus necessaria sunt: ea in sacris literis abundè traduntur, quemadmodum tum ipsæ sacræ literæ docent; tum ipsi Patres testificantur.

V I I.

Scripturæ Canonice sunt quidem multis in locis obscuræ: illarumque obscuritas aliquando in verbis ipsis est, aliquando in rebus, aliquando in vtrisque simul: qua de causa tum linguarum, tum historiarum cognitio ad intelligentiam Scripturarum necessaria est: nihil tamen eorum præsertim quæ ad salutem, vel creditu, vel factu necessaria sunt, ita alicubi Scripturarum obscurum est: quin idem alibi in iisdem Scripturis planissime & perspicue scriptum inueniatur: sicut etiam Augustinus diligenter obseruauit: & in libris de doctrina Christiana sapienter docuit. Nihil igitur tanquam ad salutem necessarium de religione est definiendum, & populis proponendum, quod non habeat certum aliquod, & perspicuum in Scripturis Canonicis testimonium: id quod omnes quoque Patres docuerunt. Est enim ea verè vox orthodoxi hominis, apud Theodoretum in Ἀντιρρητικῶν aduersus hæreticum, ἐν ᾧ καὶ μόνῃ παύσασθαι τῇ ἑαυτοῦ γραφῇ. Quare ex locis Scripturarum obscuris erui dogma nullum potest, aut debet: nisi aliis clarioribus Scripturarum locis illa prius illustrentur, ac confirmentur.

V I I I.

Quæcunque extra Scripturas vel in Patribus, vel in Conciliis, vel in Pontificum decretis leguntur: illa sunt verbo Dei vel consona, vel dissona, vel neque consona, neque dissona. Quæ igitur sunt consona: ea retinenda sunt: quæ autem dissona: ea

reicienda sunt: Quæ verò neque consona, neque dissona: in illis retinenda & seruanda est regula de Adiaphoris: nimirum vt primum liberum sit Ecclesiis ea vel admittere, vel non admittere: deinde si admittant: ea tantum admittant, quæ ad ædificationem, aut ad ordinem, aut ad decorum in Ecclesia faciunt. postremò declarent illorum obseruatione non ita obligari Christianorum conscientias: atque obseruatione mandatorum Dei: Solo enim Dei verbo Christianorum conscientias per se, & semper obstringi.

I X.

Libera quidem debent esse Ecclesiæ in rebus adiaphoris, hoc est, in iis, quæ nullum habent testimonium in verbo Dei: illa tamen quæ iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ omnium Ecclesiarum consensu in Catholica Ecclesia, vel semper, vel *ὡς ἡ τὸ πλεῖστον* obtinuisset ex probatis & antiquis scriptoribus certò cognoscuntur: ista inquam sine iustis & necessariis causis ex verbo Dei desumptis, atque si facultas datur, in generali, & Christiano Cōcilio explicatis, & ab eo approbatis, reicere, atque ex Ecclesia profligare: Christiani, & Dei timentis hominis non est.

X.

Contrà: Illa etiam quæ licet neque suapte natura mala sint, neque inutiliter in Ecclesia diu obtinuerint: tamen postea lōgo abusu in superstitiones, & idololatrias versa sunt: ista inquam, nolle vel penitus exemplo Ezechiae & Iosiae tollere, vel saltem exemplo aliorum piorum regum ita emendare, & repurgare: vt omnis idololatria, & superstitio, & omnis superstitionis, atque idololatriæ occasio tollatur: pertinacia est nullo modo probanda.

SUMMA. Concilia coguntur: vt reformatur Ecclesiæ. Ecclesiæ sunt reformatæ ad formam omnium optimam.

Melior Ecclesiæ forma inueniri, aut excogitari non potest, illa, iuxta quam Christus per se, & per suos Apostolos Ecclesiam initio constituit, ac conformauit. Qualis fuerit illa veteris & Apostolicæ Ecclesiæ forma tempore Christi, & Apostolorum: liquidò & certò apparet ex libris Euangelistarum, & Apostolorum: probabiliter autem ex reliquis post Apostolos antiquissimis Ecclesiasticis scriptoribus. Ad illam igitur in primis Ecclesiæ formam, quæ in sacris literis, præsertim in Noui Testamenti libris traditur: deinde ad illam etiam, quæ in antiquissimis Scriptoribus conspicitur: quoad eius fieri potest, hoc est, quatenus ista non pugnat cum illa: Ecclesiæ vniuersæ in doctrina, in cultu, ac cæremoniis, & disciplina reformatæ sunt: ita vt omnia ad prima principia, & ad primos fontes reducatur: seu ita vt profligatis omnibus nouis, Apostolisque, & Apostolicis Patribus inauditis, ac incognitis doctrinis, ac cultibus, vetera omnia, vetus scilicet doctrina, vetus cultus, veteres cæremoniæ, vetusque disciplina in Ecclesiam postliminio reuocentur: Sic Dominus per Iesaiam cap. 1. promittens reformationem totius Ecclesiæ, & totius ciuitatis Hierosolymæ docuit, » dicens: Excoquam ad purum putum scoriam tuam: & auferam omne stannum tuum: » & restituiam Iudices tuos: sicut fuerunt prius, & senatores tuos, sicut antiquitus. Post » hæc vocaberis ciuitas Iustitiæ, vrbs fidelis. Sunt igitur omnia stanna nouarum doctrinarum, & nouorum cultuum tollenda: & restituenda est doctrina illa, & cultus ille, & disciplina illa, quæ fuit prius, & ab initio, tempore scilicet Apostolorum, & Apostolicorum virorum. Idem Dominus per Hieremiam sic mandat, dicens: Hæc dicit Dominus: State in viis, & circumspicite, atque interrogate semitas antiquas. vbi » nam illa via bona sit: in ea ambulate: & inuenietis refrigerium animabus vestris. Dominus etiam Iesus Matth. decimonono reformaturus matrimonium, Iehudæos » ad primam matrimonij institutionem reuocauit dicens: A principio autem non fuit sic. Innumera certè sunt in Ecclesia, quæ à principio non fuerunt sic: tempore scilicet

et Apostolorum. Sunt igitur ad formam veteris & Apostolicæ Ecclesiæ omnes Ecclesiæ reformandæ, & omnia tam cultus & disciplina, quàm dogmata, non ad Lesbiam regulam humani iudicii, sed ad lapidem Lydium diuini verbi examinanda.

Habes hîc etiam opt. Knolle, paucis comprehensam sententiam meam, de prima vera Ecclesiarum reformandarum ratione: nempe de regula: ad quam omnia, quæ in Concilio tractâda sunt, examinari debeant. de altera verò, hoc est, de legitima Concilij celebrandi forma, de cognitorum genere, de quæ cognoscendi via ac ratione: iudicii mei explicationem in aliud tempus differo. multa quidem sicut de priore: ita etiam de hac posteriore amicè inter illum Episcopum & me, vtrò citroque disputata fuerunt: ex quibus facilè sicut ego illius: ita ille meam intelligere potuit sententiam. Ceterùm meam de forma Concilij, tam breui scripto complecti atque explicare: quò etiam meum, de regula, ad quam omnia examinanda sint, iudicium completus sum: propter temporis breuitatem non potui. In aliud igitur tempus, vt differ-

ram: æquitas, vt vides, postulat. Vale: & munusculum hoc meum
animo te hoc est nobili & pio viro
digno, accipe.

Argentina Calend. Febr. 1563.

